

vel ejus Regimen talem necere non præsumitur, atque adeo citra moram & præjudicium Principis liberum juris sui exercitium consequi potest. Cumque pro officiali Principis semper optima capienda sit præsumtio (*d*), isque bona fide agere præsumatur (*e*), attendendum non est, quod quidam vindictæ studio, vel lucri aut gloriæ cupiditate ducti Nobilibus faceffant negotium. Ad minimum ob juramentum officialium in dubio verosimilius est Landsassium usurpare, quam illos calumniosam litem eidem intendere. Ecquot dantur, qui in Territorio alicujus Principis jus venandi sibi vindicant, & ad præscriptionem immemorialis se offerunt, non tamen illius sed alius Principis vassalli sunt? Annon pendente lite verosimilius in hoc casu, ipsos præsumtionem quam contra se habent non elifuros, adeoque usurpare, quam Advocatum Fisci vindictæ studio, vel gloriæ aut lucri cupiditate, errore, & imprudentia ad litem ipsis intentandam ductum fuisse? Sed nec desunt judicata, quæ hisce nostris principiis innituntur. Ita enim apud Dn. LÜBBE (*f*) a Facultate Juridica Kiloniensi Domino de KNESEBECK, ab Altorffina & Griphswaldina Baroni de SPORCKEN in puncto juris venandi probatio concessionis specialis injuncta, interea temporis tamen sub gravi pœna venatio prohibita. Et A. 1733. Duisburgenses Jcti in causa des Closters Derneburg contra das Fürstliche Amt

---

(*d*) Stryck de præsumt. pro Magistr. per tot.

(*e*) Marpurgenses Vol. 3. Conf. 9. n. 118. Myler Hyparchol. c. 10. §. 2. n. 4. Joh. Baptist. Costa de Jur. & facti ignor. Inspect. 41.

(*f*) c. l. Adjunct. 37. 38. 39.